



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

2. Februarii. Qui aliis utilis esse cupit, sibi multùm priùs vacare debet:  
ardeat prior domi charitate, qui amat alios inflammare. S. Ignat. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

limur nempe: zelum putamus, & sensualitas est; enim verò non tam laborare, quàm morbi molestias effugere, cupimus.

Quid Indias designas? lectus tibi arena, & campus est uberrimæ messis. Martyria sitire necesse non est, habes ad manum carnifices morbos, habes in lecto carcerem. Si scias ubi, omnium tibi meritorum campum ægritudo pandit.

Si tuis Deus laboribus egeret, vires in pares non negaret; patientiam petit, non victimam: non corporis sudores, sed animi æquitatem expectat.

Grandia illa, quæ optas, opera plus tuæ voluntatis, Divini beneplaciti minùs habent. Quantò Dei voluntas tuis desideriis sanctior, tantò & morbus ægro præ Apostolatu utilior est.

## 2. Februarii.

*Qui aliis utilis esse cupit, sibi multum prius vacare debet: ardeat prior domi charitate, qui amat alios inflammare. S. Ignat. ibid.*

**N**ON efficacius præcipitur pietas, quàm agendo; nulla siquidem melior legum glossa, quàm exempla. Omnes, qui ea viderint, imbuentur, nec ullo egebunt.

bunt commentario. Vidisse, dedicisse est.

In arena prius se exerceat miles, qui certum cupit ictum intentare; malè discitur inter pericula, & nimia sui fiducia serò nimis damnatur.

Animæ pericula & plura, & graviora sunt corporeis. Alios salvaturus se ne perdat, præsidis eget validioribus. Inter malos non fieri malum, nec trahere à lue infectis contagionem, artis est nec obvia, nec vulgaris.

Ordinata, si vera, est charitas; sua prius, quàm aliorum lucra respicit, nec ullum præ se cupit esse sanctiorem; nam, si nemo dat, quod non habet, quî spiritu vacuus hoc alios replebit?

### 3. Februarii.

*Quibus in domibus suda semper, & immota dominatur tranquillitas, ibi multum sit, nisi vitia nidulentur. S. Ignat. apud Bart. l. 3. §. 36.*

**N**ihil infelicius constanti felicitate. Ut terra nullo concisa vomere, aut ligno-  
nibus agitata nihil nisi lolia, sic longa prosperitas vitia nutrit. Continua namque prosperitas emollit animum, virtutis studium labefactat.

Plus.